



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propugnaculum: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Guadianensis, Mexic. n. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

C L A S S I S VII.

A GVBERNAT. CETERISQVE

M A G I S T R A T I B V S.

1. **A** GARCIA DE LOYOLA *Gubernatore Chilensi*, qui *Nostro Parenti Ignatio sanctissimo, arctissimo propinquitatis vinculo coniunctus, sic Sacerdotes nostros Caziquijs Araucanis commendauit: Homines (dixit) esse longe à communi reliquorum consuetudine alienos: non sibi aurum quærere, non argentum, nullum aliud denique lucrum nisi diuinum honorem, atque hominum salutem: huius vnus rei causa ex Hispania profectos, longæ periculosæque nauigationis incommoda magno animo subiisse: atque in vnam eam rem suam vitam omnem deuouisse: nihil ijs cordi esse, nisi hominibus viam ad cælum expedire, & quod ad humana attinet in his terris hominum commoda apud Prætorem, Præfectosque Regios procurare. Adiecit etiam quo maius Societatis beneficium faceret, A Rege missos in has terras, vt Hispanorum vitia corrigerent, & acerbissimis iniurijs, quibus ipsi premerentur, obuiam iretur. Hec pientissimus Gubernator in *Annal. Soc. ann. 1596. fol. 916.**

Sociorum vnicum lucrum diuinus honor, & hominum salus.

Quibus vt viam ad cælum expediant, vitam omni periculo deuouent.

Sodalitatum fructus vberissimi.

2. **A** GVBERNATORE GVADIANENSI *Mexicano*: Cum Societatis (*inquit*) progressiones, atque incrementa contempler, non possum non vehementer perpetuam huius vineæ admirari fecunditatem, quæ in omnes partes sine vlla cessatione, innumeris ijsdemque sanctissimis Institutis se fundit. Sed inter ceteros huius vitis palmites, Sodalitatum Beatæ Virginis Institutio vberimos edit fructus virtutum. *Sic ille in Annal. Soc. ann. 1611. fol. 856.*

3. **A** GV-